



7

2. Aufl.


Pri. 49. num. 12. P. M. 8. 1/2

7 GEORGII GUSTAVI GERDESS
DISQVISITIO
DE
EO QVOD IVSTVM EST
IN CASV
DVBLIAE AC LITIGIOSAE
SVCCESSIONIS PRINCIPVM.

Oder:

Gründliche Erörterung:

Wie nach den Rechten zu verfahren sey bei
einer zweifelhaften und streitbaren Erb-Folge
derer Fürsten.



KÖNIGLICHE
UNIVERSITÄT
ZU HALLE

ALTORFII,
IMPENSIS STEPHANI GREBNERI, 1746.

GEORGII GASTAVI GERDESII
DISCOURSES
DE
EO QODO VATYKANEST
IN CASA
DARVIE AC HISTORIAS
SACERDOSIES PRINCIPAL

Q. C. M. P. T. S. D. P. E. S. G.
G. C. M. P. T. S. D. P. E. S. G.
G. C. M. P. T. S. D. P. E. S. G.
G. C. M. P. T. S. D. P. E. S. G.



DR. J. A. F. A. R. A. S. D. P. E. S. G.



§. I.

NON heri aut hodie, sed omni retro ~~estate~~, & antiquo, & medio, & novo anno extitit in Republica casus dubiae ac litigiosae Successionis Regiae. Istud fatum plerumque infastum atque funestum esse solet. Pronus enim est in motus, turbas, tumultus, factiones, imo bellum civile, lapsus.

*cedit viribus aequum
Vidique pugnaci jura sub ensē jacent.*

Suppetunt tamen remedia avertenda, vel sistenda calamitatis publicae; Suppetunt item consultationes de eo, quod alterutri litigantium magis suadendum sit & conductat. Sed haec pertinere videntur ad questionem facti, non generali regula, sed pro diverso circumstantiarum, temporum, personarum regnorumque habitu definienda. Omnis enim consilii questione est questione facti.

§. II.

Nobis intra Legum & iustitiae septa manendum id nunc agitur, ut de eo, quod de casu dubiæ successionis Regiae in universum justum sit, exquirere tentemus. Absit, ut insignius quoddam nostræ memoria exemplum perscrutari, sive sub censuram vocare velimus. Conticescere hic jubet justissima SENECAE reprehensio L.3. Contr. c. 20. Exempla, inquit, cum dixerunt, volunt & illa ad aliquid controversie thema redigere. Quod, uia aliquando faciendum est, cum res patitur, ita ineptissimum est, luctari cum materia.

§. III.

Incertitudo successionis regiae, variis, nominatim quatuor modis, evenire & solet & potest. I.) Si ambigitur de ipso successionis jure; numne regnum, hactenus successi-

vum ex mente Legum fundamentalium, quæ succedendi modum definiunt, desierit esse successivum? An quispiam amplius supersit, qui juris succedendi capax? II.) quando de jure successionis in se spectato non controvertitur, sed de proximitatis prærogativa, quoties concurrunt plures ad successionem adspirantes, Regis legitimi agnati vel cognati. III.) Cum successor intuitu legitimæ nativitatis est suspectus, num forte supposititius? IV.) si Rex sine hærede deceperit, relictæ tamen uxore legitima quæ sive manifesto sive verosimiliter sit prægnans.

§. IV.

Primus & secundus casus pari fere juris ratione æstimari debet, nisi quod in primo casu, ubi de jure successionis in universum extincto lis est, quæstio vertatur præjudicialis, quæ secundum casum de proximitatis prærogativa inter plures Competitores omnino tollit. Si nullum amplius succedendi jus superesse decernitur, gratis disputant Competitores, uter sit proximior?

§. V.

Id vero, præente GROTIUS de Jure Belli & pacis L. II. C. VII. §. 27. quem sequitur PVFENDORF de J. N. & G. L. VII. C. VII. §. 15. in controversiam abiit: *Quinam judex sit competens in primo & secundo casu Litigiose successionis Regie?* Recte monet eximia eruditio JCTUS GRIBNERVS in Principiis Jurisprud. nat. L. II. C. X. §. 8. n. 4. *Leges fundamentales imprimis esse respiciendas in casibus dubiæ successionis Regie.* Nullus hinc dubitationi locus, quando pactiones vel Leges fundamentales expressis verbis sive toti populo sive ordinibus populum repræsentantibus, decidendi arbitrium detulerunt. Tale arbitrium habent ordines regni Portugallici, item, ni fallor, Anglici. Exstat Specialis historia typis, expressa de jure Parlamenti Anglicani ratione successionis Regie. *Histoire du Droit du Parlement d'Angleterre, touchant la Succession Royal.* Eodem arbitrio gaudent & non ita pridem usi sunt, Ordines in Principatu Neo-Comensi, qui

■) o (■

vulgo Neufchatel audit, qui rite subductis rationibus jurium,
quaꝝ sibi illius terræ competitores, quales erant Princeps
Carinianensis, vidua Ducis de Les diguiere, Princeps Bur-
boniensis, arrogaverant, tandem pro Rege Borussiaꝫ Fride-
rico I. A. 1707. pronunciarunt, quam in rem extant scripta
& acta publica. Consulas hic omnino I. P. LVDEWIGS Preus-
sisch Neuburg & N. H. GVNDLINGI Historische Nachricht von
Neufchatel und Valengin. In Germania memoratu dignissi-
mum exemplum vidit remotior ætas in Ducatu *Holsatico*
& *Sleswicensi*, ubi circa medium Sec. XVti, post extinctam
antiquam Ducum familiam, nascebatur lis de jure succe-
sionis, quam Domus Oldenburgica ex sorore ultimi Ducis
oriunda petebat. Judicium relinquebatur ordinibus seu
Statibus, quorum placitum non illubenter amplectebantur
Oldenburgici Comites, & inde nati Reges Daniaꝫ & Duces
Holsatiaꝫ. Veritatem rei gestæ comprobat TRAZIGERI
Chronicon MScrum Hamburgense Lib. IV. Et optandum
omnino esset, in omnibus Procerum Europæ familiis illu-
stribus constantem succedendi Legem esse vel paucis, clari-
ris tamen verbis introductam. Siquidem H. CONRING.
ad LAMPAD. P. 3. c. 4. §. 8. optime memoriae prodidit.
*In universum civitati cuilibet utilis est legitima successio præ ar-
bitraria, quandoquidem interest totius Republicæ, ut bonorum
possessio si conveniens civitatis scopo civili, quo non observato
mutationibus & multis incommodis qualibet Societas Civilis per
se obnoxia est.* Quemadmodum vero maximopere dolen-
dum simulque mirandum, plerorumque, si non omnium
regnorum fundamentalibus Legibus, neutquam hoc po-
mum eridos esse sublatum, ita & nos hoc loco intelligimus
Rempublicam, ubi istiusmodi Lex fundamentalis vel Con-
suetudo specialis deficit, quæ ubi deficiunt difficile est con-
troversias definire.

S. VI.

Ipsum Principem cui succeditur sive absolutum sive
limitatum gerat Imperium, nihil jure valitum statuere
posse, communior ac receptor est opinio. v. IO. PHIL. PAL-

A 3

THENII,



THENII, Profess. quondam in Academia Gryph. Celeberr. Disp. de Dethronisatione §. 2. p. 8. nisi quod GRONOVIVS in notis suis ad Grot. Lib. 2. Cap. 7. §. 27. pro Principe pugnet magis, more solito, verbose quam nervose, uti observat HERTIVS in not. suis ad Pufendorff. l. c. Inter varias rationes, quæ contra Principem afferuntur, palmaria est, quod successio non sit sub jure Imperii, quippe quod se refert ad subditos eorumque actiones, post fata autem se non extendit. GROT. l. c. sive quod stylo PUFENDORF. de J. N. & G. VII. 7. 15. populus habendi imperii modum Regi haud quaquam commiserit. Exemplum ex THVANO Lib. LXV. affert BOEHMERVS in Jure publ. universali p. m. 647. lit. y. Quamquam non desint exempla in contrarium ap. PUFENDORF. l. c. occurrentia, adeas hic omnino I. V. PESTELS, Prof. Rintel. Diss. de Judice in Dubia successione lineali & singulari Principum §. 12.

§. VII.

Vereor, ne hæc argumentatio scrupulis non careat. Illis in Regnis, quæ superioribus Seculis liquido electiva, & postmodum populi voluntate in successiva conversa fuerunt, facilior & expeditior est decidendi ratio. Lis de Successore Regni tunc pendet ex interpretatione voluntatis & pactionis inter ordines Regni conventæ, eo tempore, quo certæ familiae jus successionis delatum fuit. Hoc in negotio Princeps non tam compacientis, quam ratibentis & approbantis personam sustinet. Aut si Princeps compacientis dicendus sit, attamen populus principalis pacientis loco haberri debet. Quo sit, ut Princeps *solutus* sibi non possit sumere interpretationem conventionis, quæ primario fuit totius populi. Dixi *solutus Princeps*, sic innuitur Principem assidente populo item juste definire. Quæ hic arcana sunt consilia, aliis eruenda relinquimus.

§. VIII.

Obverti posset, nonnullis in regnis pactum de successione Domus Regiae vel nunquam extitisse, vel non amplius

plius extare, sed jus succedendi longo temporum usu invaluisse. Ibi vero latet tacitum quoddam pactum, cuius interpretationem soli Regi relinquere eo minus par est, quo magis dubia est mens pacti taciti.

§. IX.

Nihil quidem obstat videtur, quominus soli Principi Litem dirimere integrum sit, istis in regnis, ubi certa Legē vel consuetudine invaluit, quod Principi citra Populi authoritatem de successione Regis disponere liceat.

§. X.

Vulgo hanc in rem discerni solet Regnum Patrimoniale, & Non Patrimoniale. Quod discriminem primum stabilire voluisse videtur GROTIUS de Jure B. f. L. 1. c. 3. §. 12. & L. 2. C. 6. P. 3. cuius vestigia premit PUFENDORF de J. N. & G. Lib. VII. C. 6. §. 16. 17. & THOMASIVS in Jurisprud. div. L. 3. C. 6. §. 133. qui tamen a priori sua sententia discessit in notis ad Huber. de jure Civit. Lib. I. Sect. III. C. III. p. 69. lii. K. Eiusd. distinctionis fundamentum quoque sollicitat HERTIVS in Diff. de Tutela Regia Sect. 1. §. 10. & DITHMAR in Diff. de abdicat. regnum, aliarumque Dignitatum, tam secular. quam Ecclesiast. Si dicendum quod res est, tota illa divisio regni in patrimoniale, ubi imperans dicitur habere facultatem alienandi imperium, in thesi fortassis tolerari potest, ac in hypothesi applicatio ejus deficere videtur, recte monente CL. TREVERO in not. ad Pufend. de O. H. & C. C. IX. p. 515. & THOMAS. in not. ad Huber. l. c. Haec tenus enim non liquido constat, num in cultioris Europæ orbis partibus, re ipsa detur regnum vere & omnino patrimoniale? Ajunt Doctores, tale regnum esse, quod armis aut jure belli sibi quæsivit Rex, aut, ubi suum sibi populum ipse fecit. Unde autem pro certo definiveris, num hoc vel illud regnum sive armis quæsitum fuit, sive interveniente pacto. Scimus permultos Principes ac Reges, et si armis regna in ordinem inque potestatem suam redegerint, nihilosecius tutamen & præsidium juris sui in partis

Etis & agnatione, quam in iure belli collocare maluisse. Quale quid de Henrico VII. Angliae Rege, diligenter annotavit BACO DE VERVLAMIVS in *Historia Henrici VII.* passim. Illud palam est, Civile s. internum bellum, quod in statu Reipublicæ turbulentio uni procerum occasionem nascendi imperii dedit, nullum justæ acquisitionis titulum tribuere. Omne enim tunc jus pendet ex voluntate & consensu populi. v. coccœ II. Diss. de *Testamento Principum.*

§. XI.

Quæ cum ita sint, tutius videtur, ut extraordinaria Principis disponendi potestas de Regni successore reputatur non ex discrimine regni patrimonialis vel non patrimonialis, sed ex speciali regni Lege ac consuetudine, & quidem certa non ubi vis obvia, vid. I.O. P. LVDEWIGS Diss. de *Obligatione Successoris in Principatum.*

§. XII.

Major difficultas ac dissensus est de eo, *num post fata successoris penes ipsum populum stet arbitrium deciderat?* Sunt 1) qui fluctuant & rem implicant, sunt 2) qui promiseue negant, 3) sunt qui omnino & simpliciter affirmant, sunt 4) qui distinguunt.

§. XIII.

Primæ fluctuantium classi non temere adscribuntur GROTIUS & PFENDORF. II. cit. Uterque quidem & regi & populo abnegat potestatem iudicandi. GROTIUS tamen populi arbitrio locum tunc concedit, si de *primæva populi voluntate* (i. e. de mente pacti super successione regni) quæstio incidat. Ast hæc restrictio ipsum assertum tantum non destruit. Etenim semper aut tamen plerumque in casu ambiguæ successionis Regiæ, quæstio incidit de primæva populi voluntate. Ergo ex mente ipsius Grotii, contra Grotium inferri potest semper vel plerumque Populi voluntatem sequendam esse, uti recte hoc observat rectioris iudicij JCTUS HALL. Dn. BOEHMERVS in *Jure publico universali*

versali P. Spec. L. 3. c. 4. p. 641. Similiter PVFENDORF. all. l. eo tandem delabitur, populo declarationem voluntatis relinquendam esse. Monet quidem hanc declaracionem non esse sententiam *judicialem*, quod & facit WERNHERVS in *Elem. J. N. & G. C.* 21. §. 8. sed, interprete TREVERO in *notis ad Pufendorff. de O. H. & C. Cap. X. P. 12. n. 12.* p. m. 528. declarationem conventionalem, qua populo tanquam paciscenti jus sit interpretandi pacti contenta, secundum indolem & intentionem negotii, de quo fuit initum: Sit ita, sufficit, declarationem populi, ut ut in se non dici possit sententia judicialis, tamen æque ac hanc valere, & litigantes adstringere, id quod GROTIUS & PVFENDORFIVS minime inficiantur, vide *infra* §. 12. 18. 19. Parum itaque abest, ut in doctrina GROTTII & PVFENDORFII aliqualem perplexitatis imo Logomachia speciem latere dixerim.

§. XIV.

Inter eos, qui populo arbitrium promiscue admunt, eminet VLR. HVBERVS in *Tr. de Jure Civitatis L. 1. Sect. 7. C. 7. §. 52. 53.* ubi censet hujus controversiæ non alium esse judicem, quam ferrum & bellum, a qua sententia non alienus quoque videtur, DITHMARVS in *Diss. de Abdicat. regnorum Cap. II. Qu. 2. lit. f. p. 31.* & Cl. Dnus TREVER in *notis suis ad Pufendorff. de O. H. & C. I. c.* qui & ex *Livio L. 28. c. 21.* refert sæpius singularium bello & particularium certamini rem totam esse commissam. Sed facile discernendum erit, id quod fieri solet & id quod fieri debet. Nemo ignorat plerumque non tamen semper inter Competitores dubiæ successionis Regiæ bello armisque contendit. Incidunt casus, incident tempora, quæ hanc Litem non sine armorum strepitu dirimi permittunt, t. BVDDEO in *ult. Disquis. de jure Austriaco in regnum Hispan. P. II.* Id vero nunc queritur: qualem procedendi modum leges justitiæ præscribunt. Bellum est publicarum Litium judicium, sed non nisi subsidiarium, si alia deficiunt media, & causa est liquida. Secus si fit, potius latrocinium quam justum bel-

Ium erit. vid. GROT. de J. B. & P. L. 2. Cap. 23. §. ult. PV-
FENDORE. de J. N. & G. L. 2. C. 2. §. 5. sq. COCCEII Disp.
de Armis illicitis §. 16. Lex enim & obligatio naturalis pa-
cem, quousque fieri unquam potest, tueri præcipit, ob
detestabilem belli indolem, quod est omnium calamitatum,
scelerum, injuriarum ferax, absque ullo sontium & insont-
tium discrimine. Quoties igitur alius suppetit modus, sa-
vum atque inhumanum fore, impetu ruere in bellum.
Id maxime valet quoad competitores sui cessionis, in quos
cadit obligatio erga patriam, quales hoc loco sunt Regii
agnati vel cognati, in Regno, cuius de successione agitur,
nati & educati, inque numerum Civium assumti. Istius
vero sanctissimæ obligationis ea est efficacia, ut constanti
& præsentissimo belli intestini horrore corripiantur, proni
in quodvis advertendi publici exitii auxilium, etiam pri-
vata jastrura generose & juste redimendum. Enimvero in
causæ ligitiose Successionis Regiæ alius datur litis dirimen-
dæ modus, nempe vel arbitrium conventionale s. negotium
nonnunquam sorti relinquendum, & a fortunæ arbitrio de-
cilio exspectanda, quod non omnimode improbandum esse,
censem BERNEGGER in *Quest. ad Tacit. Agric.* C. 6. n. 3.
p. 178. BOECLER Tit. III. Diff. p. 457. quamquam Dn. PE-
STEL in Diff. all. §. XI. & XV. utrumque modum reicere
velit, i. judicium populi de quo mox in seqq.

§. XV.

Affirmativam sententiam, quod populus sit judex
competens, indiscriminatim tuentur HERTIVS in notis
ad Pufendorf. de J. N. & G. L. VII. C. 7. §. 15. lit. a. p. m. 1050.
BARBETRAC in not. ad Grot. L. II. C. VII. §. 27. quos se-
quentur H. E. KESTNERYS in J. N. & G. ex ipsis fontibus,
ad duobus Grotii, Pufendorfi & Cocceji derivato C. 3. n. 23.
KVLPIIS. in Colleg. Grotiano p. 68. §. 6. WALCHIVS in dem
philosophischen Lexico voc. Erb-Folge eines Reiches, plures quæ
alii, a Domino GRIBNERO in Jurisprud. nat. L. II. C. 10. §. ult.
allegati.

§. XVI.

§. XVI.

Distinctionis temperamentum suppeditat Excell. avi nostri JCtus, Dominus BOEHMERVS in Jurepubl. universal. L. 3. C. 4. p. 640. ubi distinguit, num alteruter, num vero neuter litigantium sit in possessione regni; Fortean, quod pacem tanti Viri dixerim, hic scrupulum injiciet, quod difficilis admodum applicationis & estimationis videatur, num quis sit in plena totius regni possessione, quam certe occupatio sedis regiae vel partis territorii non tribuit. Evidenter, si alteruter competitorum, universum copiarum militarium coetum, classes maritimas, insignia regni, suam in potestate redegerit, non abs re possessionem sibi vindicat, et si pars territorii & regni incolarum resistat, aut universæ Reip. factionibus distrahatur. Si neuter litigantium in possessione est, populo arbitrium judicandi concedit Dominus BOEHMERVS. Ast ubicunque litigantium Regni possessionem vere adeptus est, populi judicium cessare tradit. Scias BOEHMERYM non loqui de nuda possessione, sed de illo casu, quo populus Principem, qui successionem ante dubiam occupat, pro justo & legitimo Principe agnovit, sine ulla reservatione arbitrii circa succedendi Jus hactenus ambiguum. Cum vero unus Competitorum possessionem regni quidem nactus, neque tamen pro legitimo Principe publice agnitus, & declaratus fuit, superest dubitandi ratio, numne saluum maneat populi arbitrium.

§. XVII.

Ea in specie, qua neuter litigantium actu regnum possidet, aut, si mavis, neuter administrationem regni fecit suam, manifestum videtur, penes populum stare decisionem controversa Successionis Regiae. Ibi enim habitus & status Republicæ abiit in quandam speciem interregni s. extraordinarii, quod oritur in regnis successivis, extincta domo regnatrice, aut ubi controversa vel dubia est successio, HARTKNOCH. Lib. 1. de Polonia c. 2. & HERT. in not. ad Pufend. c. 1. §. 7. Hujus ea est conditio, ea indoles, ut

B 2

exerci-

exercitium summæ potestatis tantisper i. e. durante interregno redeat ad populum v. PVFENDORF. de J. N. & G. L 7. C. 7. § 7. & in Diff. de Interregno, add. HERT. Element. prud. Civil. P. 1. Sec. 12. §. 13. Ast forte quis statum interregni in casu dubiæ Successionis Regiæ admittere nolit. Dixeris tamen tunc cum Republica æque comparatum esse, ac si ipse Princeps impedimento, quod ipse sua voluntate auferre nequit (e. g. ob minorenitatem, animi morbum, captivitatem) imperium capessere impeditur. Recte, puto, statuas, in casu talis, quod diximus, impedimenti, administrationem Reipublicæ & Imperii populo ejusque ordinibus, qui populum repræsentant, relinquendam esse, ob tacitam & valde probabilem populi, quando in Principem imperium transtulit, voluntatem. Conferas hic BOEHMERVM in Jure publico Univ. c. l. p. 64.

§. XVIII.

Quamobrem, si in illo ipso Reipublicæ statu, quo neuter competitorum regni administrationem tenet, exercitium summæ potestatis est penes populum, nulla dubitandi ratio relinquitur, quin Populus vel Ordines & Proceres, Statusque Regni, vi summæ potestatis de successione huc usque ancipiti, per modum & in vim Legis fundamentalis judicium recte ferant. Objectio GROTI & HVBERI, cl. quod populus, quamdiu stirps familij regnaticis superest, omnis jurisdictionis expers sit, ultro cadit in statu dubiæ Successionis, ubi ex indole interregni vel impedimenti facto successoris non tollendi, summam potestatem, stante illo Reipubl. habitu, populo tantisper deferri, paulo ante commemoravimus.

§. XIX.

Accedit aliud asserti robur. Nihil justius, nihilque magis licitum esse potest, quam id, quod reipublicæ tranquillitatem firmat vel restituit atque conductit ad abrumendum interregnū, quale Rempublicam, in hoc tristifato calamitatum sive periculorum plenissimo, turbat & affigit.

affilit. Valet hic illud tritum. Salus publica suprema Lex est. Nullum vero promptius hanc in rem, nullum expeditius consilium ac remedium suppedit, quam populi decretum de legitimo imposterum successore. Unde enim quæso jus succedendi est enatum, nisi a totius gentis cum primo Rege dispositione? Cum itaque populus, qui nunc est, idem sit, ac qui olim fasces imperii primo acquirenti detulit, uti evincit PESTEL in *Diss. all. I. 13.* facile est ad intelligendum, quod & hic paria sibi vindicare jura merito videatur. Accedit, quod cardo rei vertatur in interpretatione pacti & legis fundamentalis de successione domus Regiae. Quæ interpretatio populo istius pacti & legis authori vel minimum parti principali merito tribuitur. Qui-libet enim suorum verborum optimus est interpres.

§. XX.

Ne vero quis temere hæc asserta credat, iubet provocare ad quædam exempla; cum in Anglia inter rosam albam & rubram, seu Domum Eboracensem & Lancastrensem, lis ingens de successione esset nata, hæc domus quidem aliquamdiu prævaluit, sed postea sententia a Parlamen-to Londinensi pro Eboracensi fuit lata, ac tandem Henricus VII. utraque rosa conjuncta funestam illam item felicissime extinxit, ducens Elisabetham, Eduardi IV. filiam natu-maximam, in qua jus Eboracensium maxime confederat, v. FRANC. BACO de VERVLAMIO in *Histo-ria Regni Henrici VII. Anglie Regis*, & GEORG. BATEI *Elenchus Motuum Nuperorum in Anglia*, Lond. 1663. in 12. Sic 2) hac ex ratione Elisabetha in senatu ordinum declarata An-glia Regina, vid. CAMDENVM in *Historia Elisabethæ P. I.* in pr. *La crise & le supplement de la crise par Mons. STEELE.* Et *Histoire succincte de la Grand Bretagne.* 3) In Suecia aliquot ante annos, omnes qui 1719. comitiis interfuerunt, jusserunt Ulricam Eleonoram esse Reginam, a qua deinceps onus imperii in maritum suum Serenissimum Frideri-cum, Regem nostrum clementissimum, ordinibus con-sentien-

sentientibus est devolutum. Adeo vere Regia dona mentis hujus nostræ Reginæ clementissimæ, ejusdemque Serenissimi Mariti, Friderici, Regis jam nostri clementissimi, divinitus agitata omnium istius Regni ordinum oculos splendore suo feriebant, v. den eisfertigen Entwurf über die Successions Folge, bey dem Absterben Seiner Königl. Majest. in Schweden, it. Die Sammlungen wegen der Regierungsform herausgekommenen Schriften; zumahlen Historische und Gründliche Nachricht von dem Rechte der Succession im Königreich Schweden. 4) In Moscovia nuper, cum Imperator Russorum Petrus II. nulla relicta uxore & prole decederet, Proceres Imperii Annæ Iwanownæ, uxori defuncti Ducis Curlandiaæ Friderici Wilhelmi, & filiæ Imp. Russorum Joh. Alexiewitz, gubernacula Imperii, præteritis Catharina Iwanowna, uxore Duci Megapolit. aliisque proximioribus, tradiderunt. Quid vero hæc declaratio effectura sit, dies docebit & nostrum est, effectus inde orituros religioso prætermittere silentio.

§. XXI.

Quid vero? Si alteruter competitorum occupavit regnum eiura publicam & certam populi agnitionem? Ita quidem est, quod hæc nuda possessio det facultatem administrandæ & exercendæ Majestatis, ibi enim quoque valet illud, *Beati possidentes.* Attamen, quamdiu Princeps publicam populi agnitionem nondum impetravit, ipsum jus imperii legitimum quasi in suspeso est, præsertim, cum valde lubricum & anceps videtur definire, an & quousque possessio regni acquisiti dici debeat, *supra §. 16.* Neque tunc turbulentus Reipublicæ status, neque cœterum postulata desinunt. Manent turbarum & litium reliquæ. His populi judicio obviam eundum est, per rationem adductam in §. 19.

§. XXII.

Ex adverso, ubi unus litigantium possessionem & administrationem regni occupavit, subsecuta spontanea agnitione populi, successio dubia esse desit. Est enim agnitus instar judicii,

judicij, quod antehac erat penes populum. Secus est, si forte populus, etiam facta interim agnitione, sibi refereravit arbitrium definiendæ legitime Successionis Regiæ.

§. XXIII.

Hicce ita præstructis dicendum nunc erit, 1) de modo, 2) de norma, 3) de effectu dij adjudicationis, 4) de habitu & statu Reipublicæ, quādū lis super Successione regni pender. Modus dij adjudicationis minime æstimari debet secundum formam processus forensis. Natura enim negotii postulat, comitiale Tractatum & comitiale Decretum, cuius rei indoles ne vulgo quidem ignoratur. Id fortassis in quæstionem proponi posset: *annon quemlibet litigantium seorsim audire & mutuas deductiones admittere par fasque sit?* quale quid in lite de successione Principatus Neo-Burgici, (Neuf-Chatel) contigit, uti produnt acta hanc in rem publica,

v. FABRI Staats-Canzley.

§. XXIV.

Nunc forte refert, an disceptetur vel de sola ambigua mente Legum fundamentalium, super Successione Regni hæreditaria extantium, vel 2) de circumstantiis facti, quæ nonnisi ad jura partium invicem decertantium pertinent. Si prius, non facile obloquor existimanti, nil aliud in ipso dij adjudicationis actu requiri, quam populi vel ordinum discussionem vel explicationem comitialem. De sensu & mente dictarum Legum fundamentalium, quæ sunt populi voluntas, optime ipsi populo constat, & quidem vel ex pacti hereditarii tenore, catus & circumstantiis, vel ex consuetudine juniorum temporum. Ubi autem quæstio vertitur de circumstantiis facti, quoad partium jura, ubi mutuæ deductiones non immerito desiderantur, quæ & priori in casu fortassis necessariae tunc videbantur, quando pactum de successione Regia vel in scriptis non extat, vel de ejus mente, ob ævi longinquitatem nil tuto investigare licet.

§. XXV.

§. XXV.

De norma dijudicationis annotabimus quæ sequuntur.

*Primo, Jura de causis privataram hæreditatum civilia,
quousque mere civilia sunt, carent hic autoritate legali.
THOMAS. ad Huber. de jure Civit. p. m. 286.*

Secundo, Palmarium & capitale discussionis momentum suppeditant, instrumenta Legum & passionum publicarum de successione Regia, si quæ exstant. Posteriora quidem derogant prioribus, dummodo valor posteriorum sit in aprico. Alioquin in dubio vetustiora pacta prævalent, ob legitimam præsumptionem, quod populus ratione successionis a primæva ejus voluntate & intentione non abiisse censeatur, BOEHMER in jure publ. universal. L. 3. c. 4. p. 642. lit. Z.

Tertio normam præbent circumstantiae & conditiones, quales tempore primi pacti de successione Regia fuerunt. Illæ enim aptissimam suggestur voluntatis interpretationem. Discimus inde quanti momenti & pretii sit justa & plena Historia ordinata successionis Regiæ. Dolendum vero, uti in antecedentibus advertimus, plerisque in regnis hanc Historiam valde in obscuro esse, imo penitus deficere.

Quarto subsidii loco sunt mores gentium universales, dum enim modum ordinemve succedendi populus non determinavit, nil novi constituere sed se accommodate voluisse videtur ad mores aliarum rerumpublicarum communis; quod fusius exponit sæpe laudatus Dn. BOEHMER c. l. p. m. 638. lit. t.

Quinto in auxilio advocari debent regulæ interpretationis & præsumptionum legalium, quæ speciatim ad casum ambiguae successionis Regiæ pertinent.

§. XXVI.

Dabimus specimina. *Prima præsumptio specialis, quod in dubio optima & tutissima dijudicandi ratio sit, quæ saluti Reipublicæ magis congrua & minus periculosa. Nititur hæc regula isto vulgari atque vniuersali assensu comprobato*

comprobato axiomate. *Salus publica, suprema Lex esto.* *Se-
cunda præsumtio specialis:* In dubio successioni lineali, seu
ut CABOTIVS l. Disp. 14. eam vocat, legitimæ & individuæ
locus dandus, quæ in eo consistit, ut, quo ordine quisque
ab auctore stirpis regnaticis descendit, eo lineam velut
perpendicularem constituat, & inde quilibet ad regnum
vocetur, prout ipsius linea alias præcedit, nec de una li-
nea in alteram fiat transitus, quoad ex priori aliquis adhuc
superlit, licet forte existat, qui propiori gradu proxime de-
functum Regem attingat. Si vero prima linea exspiraverit,
successio tunc secundum alteram lineam, non secundum
gradum defertur, quod demonstrat GRIBNER in *Principiis
Jurisprud. nat. L. II. C. X. §. 313.* Et hic succedendi modus
in regnis Europæis hodie quidem prope in universum inva-
luit, vid. Excell. Dominus ANDR. WESTPHAL. Patronus ac
Præceptor noster ætatem devenerandus, in *Commentat. de
Impedito Jurisprud. nat. progressu p. 110.* Coeterum de hac
successione lineali ejusque divisione in agnaticam & cognati-
cam legi merentur GROT. de J. B. & P. L. 2. C. VII. §. 22.
PVFENDORF. de J. N. & G. L. VII. Cap. VII. §. 13. ibique
HERT., HVBERVS de *Jure Civitat.* Sect. 7. C. 7. §. 17. ibique
THOMAS. & qui primo loco erat nominandus, SCHILTE-
RVS in *Diss. de origine & usu successionis linealis*, cui quam ma-
xime addas PESTEL. in *Diss. de judice in dubia successione li-
neali & graduali Principum* §. 6.

Tertia præsumtio specialis. In dubio foeminæ ejusque
descendentes regiæ successionsi sunt incapaces 1) quod po-
pulus initio constitutarum rerum publicarum Reges, non
Reginas elegit. 2) Quod foeminæ non æque ad imperium
aptæ sint ac quidem masculi, nam plerumque indigent alieno
auxilio & directione; quemadmodum multis Legibus
ex hac ratione cautum & constitutum fuit, & sine curato-
ribus nihil agere possint, ne ob imbecillitatem sexus deci-
piantur. Non convenit ut illæ imperent, quæ alterius
auxilio indigent, quo sensu forsitan ARISTOTEL. l. Pol. VIII.
ait: *mas ad imperandum, femina ad parendum nata est.* Ad-
C fuit

sunt quidem exempla heroicarum foeminarum, qualia quidem serie produxit longa GROSSERV^S in *Diss. de foeminarum meritis in rem publicam earumque prerogatiis in republ. concessis*, ast rariora, a quibus regulæ non destruuntur. Conferas hic velim BOEHMERVM in *Jure publ. univ. l. c. §. 24. lit. c.* GRIBNERVM in *Jurisprud. nat. L. II. C. X. §. 4.* WALECHIV^M im philosophischen Lexico voc. Erb-Folge eines Reichs; quam & præsumptionem fulcit, quod in feudis foemina in dubio non succedat. Atque hæc præsumptio Legalis plurimum, credo, valebit in casu, si foemina Regia sive filia & soror nupta sit, inque matrimonium elocata citra Consensum ordinum. Nam juris gentium censetur, ut foemina regia, quæ sine placito ordinum matrimonium contraxit, jus successionis perdat, quem juris articulum plane adstruunt ARNISAEVS de Republ. L. 2. C. 2. Sect. 12. n. 148. MELLERVS AB EHRENBACH in *Gamologia illustrium Cap. V.* Ratio est, quia alias facile imperium in extraneos devolvi posset, cum per matrimonium in aliam transeant familiam, quod contra intentionem populi fuisse videtur. Id vero in disceptationem abiit: *Numne feminæ deficientibus masculis heredibus in subsidium regimini admoveri possint.* Affirmatur de illis locis, quibus successio cognatica, quæ & Castilliana, a more in regno Castiliano usitato, audit, est recepta, quæ id habet peculiare, ut foemini aditus quoque ad regnum pateat, exhibito tamen hoc temperamento, ut foeminus sexus maribus ejusdem linea omnibus etiam remotoribus postponatur, hisque deficientibus demum ad foeminas aut ex iis natos fiat regressus. Et hic succedendi modus adhuc frequens est, non solum in Hispania, uti advertit Dominus WESTPHAL. in *Diss. cit. p. 110.* sed & in Anglia, Suecia, Dania, Portugallia & Moscovia. Negatur vero Quæstio de iis locis, ubi successio agnatica locum habet, cuius quippe Leges mares saltē ad regnum suo imperio tractandum admittant, foemini vero ex iis descendentibus omnino exclusis. Vocant etiam hanc successionis speciem Francicam, quod in Galliæ regno illa recepta sit, dum ibi sexus saltē

saltē

saltem eminentioris ratio habetur. Exemplum ejusmodi successionis nobis sicut Celeb. Dominus WESTPHAL. in *Diss. cit. p. 110.* Quæ hactenus differimus scripta sequentia reddent illustria GROT. l. c. §. 22. 23. PFENDORF l. c. §. 13. LIMNAEVS in *notitia regni Francici veteris C. V.* p. 414. Opusc. Vol. 2 HOFFMANN de *Origine LL. Germanicar.* C. 2. Period. 3. Sect. 1. WILLEMBERG in *scilicet. Jurisprud. Gent.* L. 2. C. 7. §. 38. Adeas vero hic omnino C. THOMASII *Diss. s. t. Historia affectuum sese miscentium de Gynocratia.*

§. XXVII.

Jus, quas adduxi, præsumptionibus non adversatur, quod in dubio forte interpretatio capienda sit contra illum, qui in pactis fundamentalibus hæreditariis Regiis, clarius loqui debuisset. Etenim quod in dubio præsumptio capiatur contra eum, qui clarius loqui debuisset, non aliter valet, quam de eo, qui clarius loqui & debuit & potuit, i. e. libertatem clarius loquendi habuit. Ast populo in publicis regni negotiis vix & ne vix quidem permittitur, libere, aperte, cordeaque planis verbis mentem suam exprimere. Unde ista forte obscuritas, quæ subesse putatur, Ordinum negligentia vel culpæ imputari nequit.

§. XXVIII.

Ipsum peractæ dijudicationis decretum eo gaudet effetu, ut competitores sive exclusi, sive præteriti, sive in futurum successionis casum rejecti, huic Decreto comitiali, tanquam Legi publicæ & sanctæ stare teneantur. Enimvero populus vel concilium ordinum, qui universum populum repræsentant, judicium tulit vi summæ potestatis. Hujus autem actus nulli alterius juri subjacent, neque humano arbitrio irriti reddi possunt. Idcirco tale decretum comitiale, si solam justi & æqui rationem spectet, non minus valet quoad illum competitorem, qui est forte Princeps extraneæ Reipublicæ. Quicquid enim vi summæ potestatis de negotiis, nonnisi propriam Rempublicam contingentibus, Legis instar statuitur (cujus indolis est illud

C 2

ipsum

ipsum comitiale decretum) id extraneo Principi impugnare l. subvertere nequaquam licet. Quemadmodum is, in sua Republica neminem injuriam facere, sibi videtur, ita asperum atque indecorum foret, judicium, quod alter populus de successione dubia jure summæ potestatis tulit, injustiæ accusare. Neque, puto est, cur Princeps præteritus l. exclusus de injuria sibi facta juste conqueratur. Jus successionis incertum & anceps erat. Ubi nullum jus certum, ibi nulla injuria, nulla juris quæsiti ademtio. Dandum quoque hic aliquid est obligationi erga Patriam, in statu tranquillo, quoad fieri licet, conservandam. Quæ obligatio tam late patet, ut patriæ succensere nefas, & juri suo cedere non modo generosum, sed etiam necessarium imo quandoque consultius videri debeat. Non incongrue hic aptaveris illud Jocastæ apud SENECA M THEBAID. 4. act. Melius est exilium tibi, quam redditus iste.

§. XXIX.

Sunt porro alii dijudicationis effectus, præsertim, si illa omne successionis *jus in universum* aufert & neminem successionis capacem superesse declarat. Id quod recte fit, quoties omnes Candidati ejus sunt conditionis, quæ qualitatem succedendi dubiam reddit, e. g. quando competitores sint foeminæ nupti, vel ex foeminis Regiis nuptis nati; nunc vero non satis liquido constat, quo usque populus in filias regias earumque Liberos jus successionis transferre voluit. Tali igitur in casu, quando stirpem regnaticem extictam esse populus decernit, plenum inde nascitur interregnum, Reipublicæ nonnunquam utile, PVFENDORF in Volum. *Dissertat. p. m. 295. de Interregno.* Tunc vero summa potestas revertitur ad populum, GROT. de J. B. & P. L. i. C. III. §. 7. ibique Commentatores. Consequitur inde, quod forma Monarchica, & omnes Imperii Monarchici affectiones seu qualitates, cuncta item, quæ antiquum Statum Monarchicum, qua specialis Principis personam & aulæ habitum supponunt, per se ultro corruant, ita

ita quidem, ut penes populum stet arbitrium & optio, quo usque Republicæ & aulæ ordinationem denuo efformare consultum putet, sin vero novum Regem adsciscere placuerit, imperium ejus certis Legibus & limitibus circumscribere licet, quia prioris formæ vincula, ipso ut ajunt, jure dissoluta sunt. Si vero populus in Regem libere imperium conferre velit, hoc facere potest, siquidem populo, cui jus est de subjecto summi Imperii sibi prospicere, liberum jure nat. relinquitur, suo juri renunciare, idque in alium transferre, recte observante G. S. TREVERO in not. ad Pufend. de O. H. J. C. p. m. 524.

§. XXX.

Huic tamen arbitrio mutandæ formæ Monarchicæ in Aristocraticam, tunc locus non erit, si extent Leges fundamentales, quæ in casum interregni disponunt de eligendo in posterum Rege. Ubi formam Republicæ, ob sanctam & venerabilem Legis fundamentalis autoritatem, etiam pleno in interregno mutare non licebit, quamvis arctior imperandi modus in electione novi Regis ponì queat.

§. XXXI.

Longe diversus est regni, cuius de successore regni ambigitur, habitus, quam diu lis & dissensio comitialis pendet. Si enim alteruter litigantium administrationem regni sibi vel armis vel connivente populo vindicavit, is tantisper lite pendente gaudet exercitio jurium Majestatis, sc. ut Angli distingunt, *Rex est de facto*, non *de jure*. Neutro regnum possidente, est quidem interregni species. Utroque tamen in casu ante Litis decisionem comitialem, forma Imperii mutationem pati non videtur, cum primis si ipsum jus successionis liquido appetat, atque de sola proximitatis prærogativa contendit. Tunc mutatio quoad modum imperandi laderet jus successoris.

§. XXXII.

Hactenus de primo & secundo generali casu dubiæ successionis Regiæ differuimus. Tertius casus est, ubi successor ratione justæ nativitatis est suspectus, ob incertitudinem, annon

C 3

forte

forte *suppositius* partus fuerit. Neque desunt complura suppositi partus regii exempla, quæ cumulare non attinet.

§. XXXIII.

Meminisse oportet, in Successione Regnorum & Principatum, evidenter requiri partus certitudinem, & maiorem quam in privatis familiis, GR. O. T. de J. B. & P. L. 2. C. 7. §. 16. quo sit, ut partus Regius, secundum specialem Regni Consuetudinem aut Legem, publico aspectu edi debat. Hoc more non rite observato, dubitatio de regio partu legitimo, minime barbara vei mira videri debet. Ais, præsumtione juris partum censeri legitimum. Id quod valet quoad liberos privatæ fortis, non ita promiscue quoad Liberos Regios. Horum legitima conditio requirit, ut non modo 1) stante matrimonio, sed etiam 2) secundum regni consuetudinem & legem publica fide nascantur. Quamobrem generalis illa præsumtio, quandoque pro circumstantiarum habitu infirmatur per contrariam præsumptionem, siquidem parentes regii neglexerint publici aspectus Testimonium.

§. XXXIV.

Dabitur itaque casus, ubi partus Regius, merito suspectus est. Huius vero ambiguitatis iudicium ipse Pater Rex sibi sumere non potest, quoniam est causa ipsius propria. Omne arbitrium stabit penes populum eiusque status. Ita et *Wilhelmus*, Anglia Rex, questionem de legitimo statu filii, quem *Jacobus II.* ex se et uxore Regina natu affirmabat, populo dubitante vel reclamante, Parlamento, i. e. populi Anglicani Delegatis relinquendam esse censuit in *Manifesto super occupatione Angliae*. Ista tamen lis, ni fallor, mansit indecisa, *Prætendente*, ut vocant, aliis ex causis a successione Regni iam dudum excluso.

§. XXXV.

Si quæras, num, controversia de Legitimitate partus Regii pendente, incertus ille successor imperium sibi iure vindicare possit? non deest, cur neges. Omnis succedendi ratio est ex aguatione, quæ cum est ambigua, ipsum Successionis ius tantisper deficit. Consequenter Respublica incidit in statum interregni (v. *supra* §. 17.) nisi Populus suspecto Principi ante successionem, ex iusta alia e. g. criminis publici causa, spem succedendi omnino ademerit, et Legitimum Regem sibi adsciverit.

§. XXXVI.

§. XXXVI.

Restat postremus dubiæ successionis regiæ casus, cum Rex abreque Regni herede occumbit, relicta uxore, vel palam, vel probabilitè prægnante. De hoc eventu quædam annotarunt AERODIVS in ff. rerum ab antiquitate judicatarum. L. V. Tit. II. et PVFENDORF. de J. N. et G. L. VII. C. VII. §. 10. AERODIO, non umbratili quondam viro, sed rerum, quæ geruntur, apprime perito, visum, Jus Römanum de ventre in possessionem mittendo et curatore ventri dando, heic merito valere, ita ut satius sit regnare ventrem i. e. curatores a populo dandos, quam agnatum. Lectu dignus est AEROEIVS ipse, PVFENDORFIVS, qui Aerodii tradita vel ignoravit vel neglexit, istiusmodi, regni statum pro quadam interregni specie habet, ratus Imperium interea administrandum esse eo modo, quo alias in minorenitate Regis solet; Ast non usquequaque liquet, qualis sit legitimus administrandi modus sub rege minoreuni. Dubium est an locus sit Tutelæ Testamentarie et legitimæ agnatorum. Si populus nihil determinaverit, Regis erit providere, quis curam regni et Regis futuri suscipere debeat, ut itaque Tutela Testamentaria in regnis quoque locum habeat. HERTIVS in Diff. de Tutela regia Sect. I. §. 11 et 13. Dn. BOEHMER Jure publ. universal. L. III. C. IV. §. 27. lit. i. GRIBNERVS in Principiis Jurisprud. nat. L. II. Cap. X. §. 6. dissentientibus licet HUBERO in Tr. de jure Civit. L. I. Sect. 7. C. 8. n. 4. GVNDLINGIO in Jurisprud. nat. C. 28. n. 14. 17. et GROT. L. I. C. III. §. 15. qui ultimus tamen inter patrimonialia et non patrimonialia imperia distinguit. Si vero de voluntate populi constet, et Lex fundamentalis adsit, tunc illa certis personis, aut proceribus imperii, aut proximis agnatis Tutelam Legitimam defert, quamvis alii Tutelam legitimam plane non admittant, quorum rationes contra illam iuste subduxit BOEHMERVS l. c. lit. K. Paucis tamen abhinc annis publicorum monumentorum fide cognovimus, Ducem Aurelianensem Philippum, Tutorem antehac Ludovici XV. Galliæ Regis, tutelæ Regiæ dignitatem et officium proprio agnationis iuri deberi maluisse. Fac autem tutelam propinquorum legitimam non obtinere in regnis, omnemque Tutoris dationem pendere ab arbitrio populi. Nil aliud superest, quam quod in casu prægnantis viduæ Regiæ, soli populo Constitutio Tutoris relinquenda sit. Idem est quorsum inclinat AERODIVS l. cit.

§. XXXVII.

Finiamus nunc cum monito, huc usq[ue] nos recensuisse insigniores et frequentiores quidem, sed non omnes incertæ successionis regiæ casus. Dantur enim plures v. g. si valor factæ renunciationis fit

fit dubius, GRIBNER L. II. C. X. §. 7. si Successor Legitimus animi morbo laboret v. BOEHMER l. c. §. 24. 25. quid, si gemelli nati et per incuriam obstetricis lateat, quis prior utero exiverit, iure primogeniturae gaudeat? de quo casu legi potest PESTEL in sepe cit. Diff. §. 15. et TIRAQVELL. in Tr. de jure primogeniturae v. Stryck in Exam. Jur. Feud. Cap. X. §. 32.

Quid autem? num quoque Successionem regni dubiam dixeris, cum filius vel agnatus Regis, vivo Principe regnante, in hunc vel ipsam Rempublicam tam graviter deliquerit, ut successione indignus videatur? Removemus hic catum, si ita filius vel agnatus Regis expressa Regis et populi voluntate sive Decreto Comitiali declarata, a Successione exclusus sit; qualem exhaeredationem etiam in regno non patrimoniali iuste fieri contra GROTIUM, BOECLERVS, HORNIUS et imprimis VITRIARIUS, in Inst. J. N. et Gent. L. II. C. VII. §. 57. affirman, quam in rem exempla antiquiora et recentiora minime desunt. Novissimum extat exemplum in defuncto Imperatore Russorum PETRO Imo, qui filium suum Czarowitzium ob asperitatem morum 1718. regni incapacem declarabat, de quo confer. Tr. s. t. *Das Recht der Monarchen in willkürlicher Bestellung der Reichs-Folge durch Petri I. den 11. Febr. 1722. publicirten Verordnung fest gesetzt, und von der ganzen Russischen Nation eydlich approbiret.* Quod scriptum consensu Imperatoris Russorum a Clero in lingua Russica Moscoviae typis expressum, postea in linguam germanicam translatum prodiit Berolini 1724. 4. cui addas: *Untersuchung nach dem Recht der Natur, wie weit ein Fürst Macht habe seinen erftgebohrnen Printzen von der Nachfolge im Reiche auszuschließen, 1718.* Supponitur hoc loco expressam Regis vel populi exclusionem abesse, ubi quidem ego non ausim afferre, Regis filium vel agnatum, de quo loquimur, liquido et certo iure successionem amississe. Olim quidem in Gallia imperante Carolo VI. JOHANNES DE TERRA RVBEA de Successione Regia in Ildi Tractatus Articulo 2ao nimis confidente adstruxit, Regis agnatum Burgundiae Ducem Johannem Intrepidum urytote criminum publicorum reum excidisse iure successionis et administrationis. Modestius existimaveris, tunc ius succedendi ita dubium reddi, ut, defuncto rege, populo integrum sit inquirere et definire, quo usque delicta successoris ante patrata regni amissionem mereantur. Et haec, pro praesenti rerum copia sufficient. Interim B.L. nostris conaminibus hand sinistre interpretandis, nos froque bene merendi studio faveas.

T A N T V M.

* (*) *

W.C.

TK594d

ULB Halle
005 366 429

3



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

8
7
6
5
4
3
2
1
Inches
Centimetres

Farbkarte #13


Pri. 49. num. 12. P. Mm. 8. 12
GEORGII GVSTAVI GERDESI
DISQVISITIO
DE
EO QVOD IVSTVM EST
IN CASV
DVBLIAE AC LITIGIOSAE
SVCCESSIONIS PRINCIPVM.

Oder:

Gründliche Erörterung:

Wie nach den Rechten zu verfahren sei bey
einer zweifelhaften und streitbaren Erb-Folge
derer Fürsten.

K 5-94 d



KONFRIED
UNIVERS.
ZV HALLE

AL TOR FII,
IMPENSIS STEPHANI GREBNERI, 1746.

